

Latin Reading Exam

Please translate **any two (2) of the following passages** as accurately as is consistent with normal English usage. The use of a dictionary (print only) is permitted.

Please write legibly and observe the margins in the blue exam booklet.

I. Augustine, *City of God* 18.22: Rome managed to achieve domination over the world at a time when other nations were strong and well established.

condita est ciuitas Roma uelut altera Babylon et uelut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum et in unam societatem rei publicae legumque perductum longe lateque pacare. Erant enim iam populi ualidi et fortes et armis gentes exercitatae, quae non facile cederent, et quas opus esset ingentibus periculis et uastatione utrimque non parua atque horrendo labore superari. Nam quando regnum Assyriorum totam paene Asiam subiugauit, licet bellando sit factum, . . . rudes adhuc ad resistendum gentes erant nec tam multae uel magnae, si quidem post illud maximum atque uniuersale diluuium, cum in arca Noe octo soli homines euaserunt, anni non multo amplius quam mille transierant, quando Ninus Asiam totam excepta India subiugauit. Roma uero tot gentes et Orientis et Occidentis, quas imperio Romano subditas cernimus, non ea celeritate ac facilitate perdomuit, quoniam paulatim increscendo robustas eas et bellicosas, quaquam uersum dilatabatur, inuenit.

II. Sulpicius Severus, *Life of Saint Martin* 2: Martin's origins and youth

Martinus Sabaria Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundum saeculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. pater eius miles primum, post tribunus militum fuit. ipse armatam militiam in adolescentia secutus inter scolares alas sub rege Constantio, deinde sub Iuliano Caesare militauit: non tamen sponte, quia a primis fere annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri spiravit infantia. nam cum esset annorum decem, inuitis parentibus ad ecclesiam confugit seque catechumenum fieri postulauit. mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cum esset annorum duodecim, eremum concupiuit, fecissetque votis satis, si aetatis infirmitas

non obstitisset. animus tamen aut circa monasteria aut circa ecclesiam semper intentus meditabatur adhuc in aetate puerili, quod postea devotus implevit. sed cum edictum esset a regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorum quindecim, captus et catenatus sacramentis militaribus implicatus est.

III. Pope Gregory I, *Letters* 1.45: Gregory counsels Bishops Virgilius and Theodorus against forcible conversion of Jews in their province.

Plurimi iudaicae religionis uiri, in hac prouincia commanentes ac subinde in massiliae partibus pro diuersis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam multos consistentium in illis partibus iudaeorum ui magis ad fontem baptismatis quam praedicatione perductos. Nam intentum quidem huiuscemodi et laude dignum censeo et de domini nostri descendere dilectione profiteor. Sed hanc eandem intentionem nisi competens scripturae sacrae comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid animarum quas eripi uolumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non praedicationis suauitate sed necessitate peruenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse uidebatur. Fraternitas ergo uestra huiuscemodi homines frequenti praedicatione prouocet, quatenus mutare ueterem magis uitam de doctoris suauitate desiderent. . . . Adhibendus illis est sermo, qui et errorum in ipsis spinas urere debeat et praedicando quod in his tenebrascit illuminet, ut pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas uestra capiat et eorum quantos deus donauerit ad regenerationem nouae uitae perducatur.